



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Scopvs Biblicvs Veteris Et Novi Testamenti**

**Novicampianus, Albertus**

**Antverpiae, 1566**

V. Christus promissus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30443**

Potestas  
diaboli du-  
plex.

363.14.

quoque in sanguine Testamenti tui emissi  
sti vinctos tuos de lacu, in quo non est a-  
qua. Caterum potestas hæc duplex  
esse perhibetur. Vna, qua Diabolus in  
originali, vel mortali peccato existen-  
tes retruderet in locum, in quem nut-  
tuntur hi, qui non sunt futuri hæredes  
regni cœlestis. Altera potestas, qua ma-  
nentes in originali peccato, vel mortali,  
decipere potest frequentius, & in pec-  
cata terribilia facilius inflectere.

## PROMISSVS

Christus.

Porro Deus, qui diues in mise-  
ricordia, &c.

Ephe. 2.

Non propter cuiusquam merita,  
sed propter misericordiam suam,  
& charitatem, Deus pollicitus est se  
missurum filium seruatorem, qui ho-  
mines fideles mundaret à peccato, &  
liberaret à tyrannide diaboli. De qua  
Paulus: Deus, qui diues est in miseri-  
cordia, propter nimiam charitatem suam, qui  
dilexit nos, & cum essemus mortui con-  
uiscavit nos Christo, cuius gratia estis sal-  
uati, & conresuscitavit, & consedere fecit  
in cœlestibus in Christo Iesu, ut ostenderet  
in seculis superuenientibus, abundantes de-

uitias gratiæ suæ, in bonitate super vos in Christo Iesu. Gratiæ enim Dei saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Hæc ille. Est autem hæc promissio facta, simulatque peccauit Adam. De qua in Genesi: *Inimicitias ponam (ait Deus ad Serpentem) inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: Ipsum (scilicet semen, qui est Christus Iesus) conteret caput tuum.* Ipsum enim habet textus Hebraicus. Estque sæpius repetita hæc promissio tempore legis naturæ, & legis scriptæ. Nam ut scribitur in Genesi, capite duodecimo, dixit Deus ad Abraham: *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Et vigesimo secundo: *Benedicentur (inquit) in semine tuo omnes gentes terræ.* Et vigesimo sexto loquitur ad Isaac: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Et ad Iacob dixit vigesimo octauo: *Benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Qui quidem Iacob Genesim quadragesimo nono prædixit, tam diu Iudaica duratura, & principes Iudæorum, quoad Christus veniret: *Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, ipse erit expectatio Gentium.* Porro has promissiones de Christo intelligendas esse,

Genes. 3.

**Luc. 1.**

vel ex illo Zachariae conuinci potest  
quod habetur apud Lucam. *Benedixit  
Dominus Deus Israël, quia visitauit  
et fecit redemptionem plebis suae. Et exiit cura  
salutis nobis in domo David pueri sui. Sicut  
locutus est per os sanctorum, qui a seculis  
sunt Prophetarum eius. Salutem ex inimicis  
nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.  
Ad faciendam misericordiam cum patribus  
nostris, & memorari testamenti sui sancti. Et  
iurandum quod iurauit ad Abraham patrem  
nostrum, daturum se nobis.* Hoc ipsum indi-

**Canticum  
Marie.**

cat, & virgo Maria in Canticis, cum  
receret: *Suscepit Israël puerum suum recordans  
misericordiam suam. Sicut loquutus est ad  
patres nostros, Abraham & semini eius in  
seculum.* Quin & Paulus ad Galatas scribit

**Galat. 3.  
Promissio  
de Christo  
tempore  
legis.  
Deute. 18.**

has promissiones de Christo intellexit  
explicat. Tempore vero legis scriptum  
hanc promissionem esse repetitam liquet.  
Nam in Deuteronomio scribitur: *Prophetam  
de gente tua & de fratribus tuis suscitabo  
cut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus  
ipsum audies. Cuius prophetiae Philippus  
mentionem facit apud Ioannem*

**Ioan. 1.  
Actuum. 7**

Stephanus quoque in Actibus Apostolorum  
et Dauidi manifestissimum est  
promissionem hanc esse factam, ut habetur  
secundi Regum septimo: *Ipse edificabit  
domum nomini meo (ait Dominus  
ad Dauid) & stabiliam thronum regni eius.*

eius, usque in sempiternum. Ego ei ero in patrem, et ipse mihi erit in filium. Cuius promissionis meminit Paulus ad Hebraeos. *Hebr. 11*  
 Quae quidem promissio perfecta est, Christo rege caelorum; atque hominum constituto. Unde & ipse Dauid eam pollicitationem magnificat dicens: *Psal. 131.*  
*Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et eandem promissionem videtur confirmasse Deus Salomoni, cum diceret: *2. Para. 7.*  
*Tu quoque si ambulaueris coram me, sicut ambulauit pater tuus, in simplicitate cordis, & equitate, & feceris omnia quae precepi tibi, & iudicia mea, iustitiasque seruaeris, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut loquutus sum patri tuo Dauid, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel.*  
 Videturque Gabriel Angelus has & similes promissiones de Christo docuisse exponere, cum Mariae dixit: *Luc. 10*  
*Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in eternum, et regnum eius non erit finis.* Explicuit enim in his per Christum filium Dauid futurum fuisse perpetuum regnum ipsius Dauidis super Israel, & non alios. Nam solum regnum Christi praedixerant Prophetae futurum esse sempiternum. Proinde & Matthaeus Euangelista, generatione

131. 27. *Genealogia Christi, quā describit Matthæus. Aduētum Christi praedixere Prophetae. Actu. 10. 143. 5. Roma. 1. Roma. 15. Quæ de Christo prædixere Prophetae. Genes. 42. 142. 21. Tempus natiuitatis Christi. Matth. 2. Machabæi*
- rationem Christi describens, vocat Christum filium David & Abraham, quod scilicet sit de semine eius oriundus, secundum promissionem Dei, quod probat recensens catalogum generationis eius. Quin & per Prophetas aduentum filij sui Deus prædixit. Vnde Petrus dixit omnes Prophetas testimonium huic perhibere, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Et Paulus Evangelium, hoc est, bonum, & salubre nuncium, dicit promissum à Deo per Prophetas suos in scripturis sanctis. Et alibi ait, Christum fuisse ministrum circumcisionis, ad confirmandas promissiones patrum. Sed neq; solū aduentus filij Dei prædictus à Prophetis, sed tempus, locus, modusque natiuitatis eius resq; per illum gesta. De tempore quidem natiuitatis, est vaticinium Iacob: *auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est ipse erit expectatio Gentium.* Quibus verbis indicat, tam diu duraturos Principes Iudæorum, quoad Christum veniret: Quod quidem factum: Nam Christus natus sub Herode Aſcalonita, qui factus ducū Romanorū, trāstulit in se regnum Iudæorum, cum esset exterus Idumæus. Et quamuis ante natum Iesum Machabæi

bai tenuerūt res Iudaicas, qui fuerunt *Galatinus*  
 ex tribu Leui: tamen ex materno gene *Lib. 4. c. 4*  
 re fuerunt de Iuda: tribus autem pon-  
 tificalis & regalis fuerunt commistæ,  
 vt liquet ex quarto libro Regum, capi- *Prima ex-*  
 te vndecimo. Et quāuis Iudæi quidam, *positio Iu-*  
 prophetiā hanc interpretantur de Na- *daeorum,*  
 bugodonosor rege Babyloniorum, qui *eademque*  
 (vt ipsi dicunt) propter peccata popu- *falsa.*  
 li, ad totius terræ illius perditionē, at- *Prophetia*  
 que ad regni ablationem à Deo missus *Iacob de*  
 fuit. Tūc enim (vt aiunt) interfecto Se- *Christo.*  
 dekia Rege, qui ex tribu Iuda erat, ac fi- *Genes. 42.*  
 lijs eius, regnum Iuda omnino defe- *Rabbi So-*  
 cit. Tamen falluntur: Nā (vt ait Rabbi *lomo.*  
 Selomo) referente Galatino, sceptrum  
 de domo Iuda per Babylonicā capti-  
 uiratem non fuit ablatum: quia tunc  
 nō omnes Sanhedrin, id est, iudices or-  
 dinarij, qui capita Iudæorum erant, à  
 Nabugodonosor interfecti fuerunt,  
 multiq̄ue eorum in Babyloniā def-  
 cenderunt, ibiq̄ue iuxta eorum legem,  
 ac mores, ex consensu Regis Chal-  
 dæorum, causas iudicabant, vt midras  
 sir hasirim, id est, expositio cāntici can-  
 ticorum, manifestè confirmat super di-  
 ctum illud: *Dilectus meus descēdit ad hor-*  
*tum suum.* Vbi & Targum dicit Domi *Targum li-*  
 nū defendisse in Babyloniā ad Sapien- *ber Iudæo-*  
 tes Sanhedrin. Targum autem Iudæi *rum.*  
 appel-

appellant translationem veteris testame-  
 menti in linguam Chaldaicem, factam  
 à Ionatha Hillelio auditore, & disci-  
 pulo Simeonis iusti, qui Christum in-  
 fantulum suscepit in vlnas. Ea quidem  
 translatio tantè est apud Iudæos autho-  
 ritatis, vt non solum ei nemo contradi-  
 cere non audeat, sed non minus fidei  
 quàm textui omnes adhibeant. Ià quod  
 alij pro nomine proprio loci accipien-  
 tes dictionem Hebræam Silo, Iacob  
 prophetiam: Donec veniat Silo, inter-  
 pretatur de Saul, qui electus in regem  
 venit vngendus in Silo, vbi Domini te-  
 rat arca, in qua vnctio seruabatur: Et  
 tunc sceptrum quod pro quodam pre-  
 matu accipitur, & eatenus in tribu Ie-  
 da fuerat, ex ipsa tribu amotum fuisse di-  
 cunt ad tribum Benjamin, de qua erat  
 ipse Saul. Constat eorū expositionem  
 falsam esse, tum quia ante Saulis elec-  
 tionem, arca Domini in qua vnctio  
 seruabatur, iam à Silo in Cariathiarim  
 transportata fuerat (vt patet primo Re-  
 gum, capite septimo) & ex eo conse-  
 quenti Saul non in Silo, sed in Cari-  
 thiarim vnctus fuit: tum etiam quia in-  
 mediate post Saulem, imo adhuc ip-  
 so Saule regnante, Dauid, qui primus  
 ex tribu Iuda regnauit, fuit Rex in-  
 stitutus, atque à Samuele sacerdote

*Secunda ex-  
 positio pro-  
 phetia Ia-  
 cob de Chri-  
 sto falsa.*

1. Reg. 7.

D  
 vnctio  
 detur  
 ablatu  
 ret ven  
 pro lo  
 pheria  
 esse, q  
 rat. N  
 respon  
 nis fili  
 disces  
 sibi el  
 ptrum  
 bum I  
 Ierobe  
 natum  
 cob. A  
 tio, q  
 tuit,  
 fuit,  
 te duo  
 terea  
 Iuda  
 ges p  
 vsque  
 per a  
 nagin  
 fueru  
 cum 8  
 gnare  
 plo era  
 vnctio



vnctus. Quare minimè verisimile videtur, vt tunc Sceptrum de tribu Iuda ablatum fuerit. Sed neque eorum appareret veram expositionem esse, qui Silo, pro loco accipientes, dicunt hanc Prophetiam de Ieroboam intelligendam esse, qui de tribu Ephraim oriundus erat. Nam cum decem tribus ob duram responsionem à Roboam rege, Salomonis filio, populo datam, à regno Iuda discessissent, ipsum Ieroboam regem sibi elegerunt, & tunc à Iuda Sceptrum oblatum dicunt, atque ad tribum Ephraim translatum, ex quo erat Ieroboam Rex, quem in Silo coronatum dicunt, iuxta prophetiam Iacob. Atqui decem tribuum congregatio, quæ Ieroboam sibi regem constituit, non in Silo, sed in Sichem facta fuit, vt ex tertio libro Regum, capite duodecimo apertè colligitur. Præterea non fuit tum regnum à domo Iuda amotum: Nam ex ea tribu Reges per hereditariam successionem, vsque ad Babylonicam captiuitatem, per annos fermè quadringentos nonaginta & duos, sine intermissione fuerunt, & illi soli Reges censebantur, cum & in regia vrbe Hierusalem regnarent, & per vnctionem, quæ in templo erat instituerentur. Ad tempus præ-

*Tertia expositio Iudeorum prophetie Iacob de Christo.*

Septuagin-  
ta hebdo-  
mada.

Danie. 9.

Explana-  
tio prophe-  
tie Dani.  
ex Gala.

finitum, aduentus Christi pertinent. Septuaginta hebdomadae, apud Danielē. Nunc egressus sum ut docerē te (ait Angelus ad Danielē) & intelligeres. Ab exitu precū tuarū egressus est sermo. Ego autē veni, ut indicarē tibi, quia vir desiderasti es. Tu ergo animaduerte sermonē, & intellige visionem. Septuaginta hebdomadae breuiate sunt super populū tuū, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prauaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, ut adducatur infamia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur sanctus sanctorū. Scito ergo & animaduerte ab exitu sermonis iterū & deficiet Hierusalē, videlicet ad Christum ducentem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duae erant, & rursum edificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas auertetur Christus, & non erit populus qui negaturus est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Et finis eius vastitas, & post finem statua desolationis. Confirmabit autē pactum multis, hebdomada vna, & in diebus hebdomadis deficiet hostia & sacrificia. Et erit in templo abominatio desolationis, usque ad finem perseverabit desolatio. In Daniel: Quorum verborum explanationem à peritis linguæ Hebraeae, &

tam adiungam, si prius de hebdomada  
 acceptione dixerō. Hebdomada dupli- *Hebdoma-*  
 citer accipitur in facris. Primò, pro spa- *de signifi-*  
 cio septē dierū, vt in Leuitico habetur. *catio in ja-*  
 Vbi dicitur septem hebdomadas esse, à *cris.*  
 festo Paschæ, ad diē festū Pentecostes, *121. 7.*  
 quæ quadraginta nouem dies faciunt, *Leuit. 23.*  
 et quinquagesima diē festū Pētecostes.  
 Secundò accipitur hebdomada, pro se-  
 ptem annorū curriculo, vt est illud Le-  
 uitici: *Numerabis tibi septem hebdomadas* *Leuit. 25.*  
*annorum*, id est, septies septem annos,  
 quæ simul faciūt quadraginta nouem.  
 In qua significatione accipitur hebdo-  
 mada in prophetia Danielis. Cuius  
 quidam prophetiæ est hæc explanatio:  
 Cūm Danieli quintum regnum Mes-  
 siæ, quod sine nunquā cariturum erat,  
 & per somnium Nabugodonosor, &  
 per visiones, quas ipsemet viderat, re-  
 uelatum fuisset: cumque ipse Daniel  
 de bello Gog, & Magog, id est, Anti-  
 christi, post quod Israël saluādæ sunt  
 reliquæ præuidisset, atque ipsius Dei *121. 7.*  
 verba apud Ieremiam, reuersionem Is- *Jerem. 29.*  
 rael ex Babylonica captiuitate pollicen- *& 30.*  
 tis, secum mente expenderet, horū my-  
 steriorum processus summopere intel-  
 ligere cupiebat. Quamobrem sese ora-  
 tioni dedit, Deum toto corde depre-  
 cans, vt eius desiderio responderet.

Proin-

Proinde Angelus dicit se esse missus  
 à cōspectu Dei, ut doceret intellectu  
 nem Dei mysteriorum, quæ tantopere  
 scire desiderabat. Dicit igitur hebdo-  
 madas septuaginta abbreviatas esse,  
 hoc est, quadringentos nonaginta an-  
 nos præfinitos, determinatos, à Deo so-  
 licet (iuxta enim Hebraicam veritatem  
 præfinitæ hebdomadæ dicendum est  
 non abbreviatæ) ad delendum origi-  
 nale peccatum & iniquitatem totius  
 mundi, & ad adducendam iustitiam  
 sempiternam, hoc est, legem Euan-  
 gelicam, quæ iustitiam omnium seculorum  
 contentura erat, & à Messia de-  
 debebat: & ad implendam visionem  
 & prophetiam, quæ scilicet de Messia  
 loquebatur, per cuius adventum pro-  
 phetia & visio implenda erat, & ad  
 gendum sanctum sanctorum, id est  
 Messiam. Deinde Angelus ostendit  
 ex quo tempore initium harum heb-  
 domadarum sumendum esset: ab  
 tempore scilicet, quo ex ore Hieremiae  
 egressum est Dei verbum de reditu po-  
 puli ex captivitate Babylonica, & re-  
 edificanda vrbe Hierusalem. Quod  
 factum, anno quarto regni Sedekiae  
 regis, regni vero Nabugodonosor  
 decimo. Tunc enim exierat verbum  
 ex ore Hieremiae, quod expleis

*Jerem. 29.*

*30.*

*Jerem. 28.*

ptuaginta annis Babylonica seruitu-  
 ris, populus reuersurus esset. Diuidit au-  
 tem Angelus septuaginta hebdoma-  
 das in tres partes, idque propter spe-  
 cialia opera, quæ in vnaquaque harum  
 partium fieri debebant, in septem heb-  
 domadas, quæ constituunt quadragin-  
 ta nouem annos: in sexaginta duas,  
 quæ complectuntur quadringentos tri-  
 ginta quatuor annos: & in vnam, quæ  
 continet septem annos. Sunt itaque om-  
 nes anni, quadringenti nonaginta.  
 Deinde ea, quæ in primis sex hebdo-  
 madibus futura erant insinuare vo-  
 lens, ait: *Rursum edificabitur platea*, id  
 est, vrbs Hierusalem, quam ob sui am-  
 plitudinem, plateam vocauit: Sed in an-  
 gustia temporum (inquit) finitimas ob-  
 Gentes, à quibus Iudæi assiduis bellis  
 vexandi erant, vt Esdras & Nehemias  
 attestantur. Sequitur in textu: *Et post  
 hebdomadas sexaginta duas, occidetur Chri-  
 stus. Quod autè in editione nostra est:  
 Et non erit populus eius, qui eum negaturus  
 est.* In Hebræo est, *Veen loi*, et nõ ei, hoc  
 est, non erit ei quod perfidi Iudæi exi-  
 stimabant, vt videlicet crucifixus oc-  
 cumbat, & postea non resurgat. Dein-  
 de angelus ostendit dissipatione Iero-  
 solymæ, quæ à Tito facta est. Et quauis  
 hoc infra hebdomadas istas nõ accidit,  
 sed

sed annis quadraginta post elapsis: tē-  
 mē idco Angelus, mox vt de nece Mes-  
 sia locutus est, illud adiecit, vt in mo-  
 tis Messiaē poenam Iudæis euenturan-  
 ostenderet. Postremò insinuat quomo-  
 do in vna hebdomada, id est, septe an-  
 nis cōfirmaturus erat Messias pactum  
 id est, legem Euangelicam. Tres enim  
 anni illi cum dimidio, quibus Christus  
 docuit, et tres alij cum dimidio, quibus  
 postea Apostoli in Iudæa prædicave-  
 runt, hebdomadam vnā perficiunt, in  
 qua Messias per se primū, & deinceps  
 per discipulos suos opere & verbo le-  
 gem suam confirmaturus erat. Salu-  
 tor namque ipse triginta annos natus  
 baptismum suscepit, & inde vsq; ad  
 ius passionem, tres anni fere cum dimi-  
 dio præterierunt, quibus Iudæa & Ga-  
 lilæam perambulans docuit. Et quia  
 dimidio huius nouissimæ hebdomadæ  
 Messias mortem obiturus erat, per  
 quem omnia veteris legis sacrificia  
 nem habitura erant, quæ præfigura-  
 sent verum illud sacrificiū, quod Mes-  
 sias ipse suum sanctissimum corpus  
 ara crucis offerens, pro peccatorum  
 manorū remissione, facturus erat. Id  
 Angelus addidit: *In dimidio hebdoma-  
 dis deficiet bestia & sacrificium, et erit  
 minatio desolationis. Cuius abominatio*

tionis facit mentionem Christus apud  
 Matthæum : *Cùm videritis abominatio-* *Matth. 24.*  
*nem desolationis, quæ dicta est à Daniele*  
*Propheta, stantē in loco sancto.* Sed hæcte-  
 nus de explanatione prophetiæ Danie-  
 lis. Quod autem tempus præfixum se- *Supputatio*  
 ptuaginta hebdomadarum, secundum *septuagin-*  
 supputationem Hebræorum in Chri- *ta hebdo-*  
 sto Iesu præcisè impletum sit, sic col- *madarum*  
 ligitur à quibusdam. Quarto Sedechiæ *Danielis*  
 regis anno, verbum de populi reditu, *ex Galati-*  
 deque Hierusalem, & templi reædifica- *no, & alijs.*  
 tiōe est egressum ex ore Ieremiæ. Quar-  
 tus autem Sedekiaë annus fuit duode-  
 cimus Nabugodonosor: Sedekias quip-  
 pe vndecim regnavit annos ( vt habe-  
 tur quarto lib. Regum, cap. 24. & Iere-  
 miæ quinquagesimo secundo) cùm ca-  
 pta fuit Hierosolyma & templum, an-  
 no scilicet Nabugodonosor decimo & *4. Reg. 22.*  
 nono, vt liquet ex prædictis locis. Cùm  
 autem Nabugodonosor regnavit an-  
 nis quadraginta quinque ( vt Hebræi  
 ex scriptura colligunt) cuius anno de-  
 cimo nono, ac mensæ quinto, vt dictū  
 est, templum dirutum fuit: certè ma-  
 nifestum erit Nabugodonosor re-  
 gnasse annos triginta quatuor, ab eo tē-  
 pore, quo egressum verbum ex ore Ie-  
 remiæ de reædificatione templi. Quo-  
 rum etsi vnus imperfectus sit: cùm ta-  
 men

G men

*Methasle-  
nes facit  
plures reges  
Babel quā  
quinque,  
Sed Daniel  
tātum tres  
nominat.  
Et Ieremi-  
as 27. dicit  
seruicē Regi  
Babel &  
filio eius et  
filio filij  
eius.*

men maiorem anni partem habuerit, pro integro computatur. Deinde huiusmodi triginta quatuor annis, quibus Nabogodonosor regnavit, si addantur viginti tres anni, quibus regnavit Euilmerodach filius eius, erunt quinquaginta septem anni. Quibus si tres ipsius Baltasar filij Euilmerodach iungantur, sexaginta habentur anni: his quoque duo anni Darij, & triginta quibus Cyrus nepos eius regnavit, accedant, anni erunt nonaginta duo. Porro si istis sex anni quatuordecim Assueri, & sex Darij, sub quo structura templi consummata est, adiungantur, clarum est, quod ab egressu verbi sapientis dicti, usque ad templi secundi completionem, secundum Iudæorum scripturas, centum & duodecim anni fluxerunt. Quibus si addantur anni quadringenti viginti, quibus templum secundum constructum se indubitanter à Iudæis asseritur, habebuntur ab egressu verbi ex ore Ieremiæ de reedificanda Hierusalem, usque ad eiusdem templi excidium & verbum anni quingenti triginta duo. De quibus si quadraginta duo, qui post Christum passum præterierunt subtrahantur, anni quadringenti nonaginta remanebunt, qui septuaginta hebdomadas Danielis perficiunt.

Africa



Africanus ( vt refert D. Hieronymus ) à vicesimo anno Artaxerxis Regis ( à quo Nehemias impetratis literis ad Præfectos adiit Hierusalem , & ciuitatem refecit ) vsque ad Christum , ait compleri hebdomadas septuaginta , iuxta lunarum Hebræorum supputationem : qui menses non iuxta solis , sed iuxta lunæ cursum numerant. Nā à centesimo et quindecimo anno regni Persarum ( inquit ) quādo Artaxerxes Rex eiusdem imperij vicesimum regni sui habebat annum , & erat octogesima tertiæ Olympiadis annus quartus , vsque ad ducentesimam secundam Olympiadem , & secundum eiusdem Olympiadis annum , Tyberijque Cæsaris annum quintumdecimum , colliguntur anni quadringenti septuaginta quinque per singulas Olympiades quadriennio supputato , qui faciūt annos Hebraicos quadringentos nonaginta , iuxta lunares menses , qui secundum illorum supputationem , possunt facere per singulos mēses dies viginti nouem & semissē , ita vt solis circulus per annos quadringētos nonaginta , pl<sup>9</sup> habeat dies trecentos sexaginta quinque , & quartā diei partē : & per .12. menses singulorū annorū vndecim dies , et quarta diei pars ampli<sup>9</sup> reperiatur. Vnde Græci

G 2 &amp;

*Hieron in  
Danielem.  
Supputatio  
hebdomada  
rum Danie  
lis ab Afri  
cano data.*

& Iudaei per octo annos, trium mensium embolismos faciunt. Si enim octies undecim, & quartam partem volueris supputare, nonaginta dies, hoc est, tres menses efficies, & in quadringentis septuaginta quinque annis octonarij: reperientur anni quinquaginta novem & menses tres, qui simul faciunt plus minusve annos quindecim: quos si quadringentis septuaginta quinque annis volueris addere, septuaginta annorum facies hebdomadas, hoc est, simul annos quadringentos nonaginta. Hæc

*Eusebius in  
chronicis,  
ac lib. 8.  
Demonstra-  
tionis Eua.*

Africanus referente Hieronymo. Eusebius inter cæteras interpretationes septuaginta hebdomadarum Danielis, ait: Si quis à trigesimo anno Artaxerxis Persarum regis, quo Nehemiã construxit Hierusalem Esdras memorat, hebdomadas à Daniele scriptas numerat, quæ faciunt annos. 490. reperiet eas in regno Neronis expletas, sub quo Hierusalem obsideri cœpta est, secundo Vespasiani anno capta. Nam circiter. 87. Olympiadem Nehemiæ factum memoratur. Nero verò circiter 208. Olympiadē regnavit, per singulas igitur Olympiades quadriennio supputato, proveniet numerus hebdomadarum.

*Alia suppu-  
tatio. 70.  
hebdoma-*

Quidam hebdomadas à Daniele sen-

ptas sic supputant. Sumunt initiū hebdomadarum ab anno secundo Darij Longimani, nam tum temporis Aggeus & Zacharias prophetarunt, de reparanda Hierosolyma sine aliquo impedimento, & de hoc verbo, id est, de hac reuelatione, verba angeli intelligunt apud Danielem, nihilque pertinet illud verbum Hieremiæ de desolatione Hierusalem ad hoc verbum de quo Daniel nouam accepit reuelationem post finitos septuaginta annos captiuitatis Babylonice: quos quidem completos esse anno secundo Darij, constat ex Zachariæ capite primo. Vbi inter cætera Angelus dicit: *Is iam est annus septuagesimus*, scilicet desolationis Hierusalem à Jeremia prædictæ. Qui quidem anni septuaginta sumpserunt initium à destructa Hierusalem, vt apertè colligi potest ex cap. vltimo. 2. Paralypomeon, præterea cū anno secundo Darij, præceperat idem publico edicto, ne impedirentur Iudæi ab instituto opere templi ædificandi & vrbis ( vt scribitur libro primo Esdræ, capit. 6.) consonum est vt. 70. hebdomadæ Danielis sumant initiū ab eo anno. Quāuis autem Cyrus primo imperij sui anno permiserat Iudæis templum ædificare, tamen intermissum erat opus

*darum Danielis à Darij data.*

*Daniel. 9.  
Jerem. 25.*

mandante Artaxerxe, & non fiebat usque ad annum secundum regni Darij Regis Persarum, vt scriptum habetur primo Esdrae, cap. 4. cuius quidem Darij regni anno sexto perfectum est templum, vt idem Esdras testatur cap. 6. libr. 1. Ex hac opinione, inquit, Eusebius, (referente Hieronymo) Iudaei in Euangelio loquuntur ad Dominum apud Ioannem: *Quadráginta & sex annis edificatū est templum hoc, & tu in tribus dieb<sup>9</sup> suscitabis illud?* Tot enim sunt anni (inquit) à primo anno Cyri Regis, vsq; ad sextū annum Darij Regis, sub quo tēpli opus omne completum est. Porro Iosephus & alios tres annos addidit, in quibus quaedam alia quae remanserāt perfecta sunt, qui additi quadráginta sex annis, faciunt annos quadráginta nouē, id est septem annorum hebdomadas. Dat igitur Angelus septē hebdomadas, hoc est, quadráginta nouem annos reparationi Hierusalē. Tot enim annis ab anno secundo Darij vixit restituta Hierusalē ita vt plateam & fossam haberet, id est, vt haberet politiam constitutam in platea & pace.

Deinde post sexáginta duas hebdomadas dicit occidendum Christi, quae quidem hebdomadae constituunt 434 annos, qui simul iuncti cum. 49. seu 7 heb-

Hieron. in  
Danielem.  
1an. 2.

hebd  
quos  
cipio  
tima  
etate  
anni  
ius r  
70. h  
est.  
Arta  
fame  
Sum  
teru  
stori  
tē  
Por  
der M  
que  
ni. 13  
rum  
145. a  
no E  
baes  
baon  
nis q  
fecti  
annis  
septe  
Arist  
vigin  
Hirc

hebdomadis, faciunt. 483. annos, post quos occisus Christus statim in principio sequentis anni, qui est primus vltimæ hebdomadis & initium. 34. anni ætatis Christi. Sic autem colliguntur anni hi: Darius regnavit. 37. annos, cuius regni anno secundo sumunt initiũ 70. hebdomadæ Danielis, vt ostensum est. Darius Nothus decem & nouem. Artaxerxes Mennon. 55. Ochus. 26. Arfames vel Arfes. 4. Darius vltimus. 6. Summa omnium annorum. 145. Cæterum de Regibus Persarum inter historias est dissonantia. Eam tamen rectè Carion concordat in Chronico. Porrò post vltimum Darium Alexander Magnus regnavit, à cuius initio vsque ad Antiochum Epiphanẽ sunt anni. 137. vt scriptũ habetur Machabæorum primo, cap. 1. Hi anni si addantur. 145. annis, erunt. 282. Nono autem anno Epiphanis, incepit Iudas Machabæus, vt colligere est ex primo Machabæorum, cap. 2. Præfuit verò Iudas annis quinq;, quem per successiõnem præfecti Iudæorum sequuti. regnantes his annis. Ionatham annis. 19. Simon annis septem. Ioannes Hircanus viginti sex. Aristobulus vnum. Alexander crudelis viginti septẽ. Alexandra vxor nouem. Hircanus Iunior à Parthis captus. 34.

*Luc. 3.*

Herodes Idumæus. 37. Cuius anno 30. natus Christus, Augusti Cæsaris anno 41. vt Matthæus meminit. Summa annorū à nono anno Epiphani ad Christum natum anni. 158. qui si addantur 284. annis, erunt. 450. A Christo autē nato ad Baptismum eius. 30. anni, qui baptismus fuit anno quindecimo Tyberij Cæsaris, vt Lucas scribit, qui quidem Tyberius successit Augusto, qui regnavit annos. 56. Si igitur. 30. anni addantur. 450. erunt. 480. & his si addantur tres, quibus Christus docuit, erunt. 483. qui constituunt. 69. hebdomadas, post quas occisus Christus, vt Danieli prædictum est, scilicet in principio. 34. anni ætatis Christi. In dimidio autem hebdomadis, vt ait Angelus, cecidit sacrificium & oblatio, dum ferè. 3. anno post resurrectionē in concilio Apostolorum publico decreto letæ abrogatur, & libertas promulgatur à lege, vt scribitur Actuum. 15. Sunt alie supputationes. 70. hebdomadarum Danielis, quas brevitatis causa missas fecio, quarum plures ponit inter ceteras Hieronymus in Daniele, capi. nono, & alij. Cùm igitur post tempus prædictum nullus præter Dominum Iesum tunc, siue postea hucusq; extiterit, qui ea signa & prodigia fecisset

quæ vero Mesię conuenirent, consentaneum est Iesum Nazarenum verum Mesiam esse, etiamsi tēporis ratio ad singula minuta minus quadret. Quàm miserè igitur sunt Iudæi excæcati, qui hebdomadarū saluberrimam promissionem tam stultè abijciunt. Nam sicut Ieremias promissione septuaginta annorum sustentauit populum in captiuitate, ut scirēt certam esse redemptionem ab illa calamitate: ita cū futurum esset, ut post reditum à captiuitate, non multò leuioribus calamitatibus vexarentur, (nā in Babylone certè magnificentius sunt honorati, tam per reges, quam per Prophetas excellentissimos, Danielē & cæteros) dat eis Deus solatium, promittens non amplius duratura ista mala quàm septuaginta hebdomadas: tunc affore ipsis Christum, qui finem faciat aeterna redemptione omnibus malis. Ipsi verò finem hebdomadarum faciunt initium expectandi Christi.

Quidam autem olim cernentes tempora Mesiæ vêturi præterijisse, se Mesiam esse affirmarunt, veluti inter cæteros quidam Iudæus qui Bencosba vel Barcosba appellatus, cui Iudæi cū adhæssissent, Romanis rebellarunt, ad quos expugnandos missus fuit Fla-

G 5 uius

*Falsus  
Mesias.  
132.4.*

uius Vespasianus cum Tito filio, qui Hierusalem cinxerant, in die solennis Paschæ, quando ex omni Iudæa populi conuenerant, iusto scilicet Dei iudicio tempore hoc ultionis electo: ut qui in diebus Paschæ Saluatorem futuræ cruentis manibus, & sacrilegis vocibus violarant, in ipsis diebus velut in vniuerso carcere multitudine conclusa, feralem pœnæ exitium, quod merebatur, expereret. Et sicut tribus annis cum dimidio, quibus Christus docuerat, Dei gratiam contempserant: ita tribus annis cum dimidio, eos Romani principes obfidione atrocissima afflixerunt, & postea cœperunt. Tanta autem multitudine (teste Iosepho) prostratorum erat, ut undecies centena milia perempta fuisse dicantur, adeo ut mortuorum corpora muris ciuitatis æquarentur. Tanta quoque vilitas in eodem populo fuit, ut quilibet vno argenteo dato, triginta sibi emeret Iudæos. Anno itaque ab excidio vrbs Hierosolymæ quadragesimo octauo cum dimidio transacto, Iudæi ciuitatem Bitter sibi mercopolim fecerunt, ibique alium falsum Messiam sibi præfecerunt. Cumque aduersus Romanorum imperium rebellassent, postea ab Adriano Cæsare, cum falso Messia capti sunt, cum maximis

*Multitudo  
prostratorum  
Iudæorum.*

*Clades Iudæorum  
tempore  
Adriani*



eorum strage. Rabbinī verò Iudæo-  
 rum conuicti oraculis euidētib⁹, ad *Rabbinorū  
 figmenta.* figmenta sua confugiunt, dicentes na-  
 tum quidem Mesiā sub Herode, sed  
 propter peccata occultari (vt alij di-  
 cunt) in Syo cum Angelis: vt alij, vl-  
 tra montes Caspios: vt alij, per orbem  
 mendicare, proditurū se cūm erit Deo  
 visum. At ne in Christi tempora confe-  
 ratur prædictio Iacob, confingunt Iu-  
 dæi, se regnum habere vltra mōtes Ca-  
 spios, septem vndique montibus, qui  
 transcendendi non possunt. Sed ne tam li-  
 center mendacia sua obruderent, redar-  
 guunt eos Prophetæ eorūm, vt Oseas *Osee. 3.*  
 capite tertio: *Dies multos sedebunt filij  
 Israël sine Rege, & sine Principe, et sine sa-  
 crificio.* Quam Prophetiam ad hæc tem-  
 pora referri debere manifestū est, quia  
 in Babylone, nec omnino multis annis  
 manserunt, nec defuerunt eis Princi-  
 pes. Nunc verò neque Regem habent,  
 neque Principem, neque sacrificiū. Sed  
 hæcenus de tempore aduentus Mesiæ  
 prædicto.

Locum natiuitatis Mesiæ prædi- *Locus natē*  
 xit Michæas capite quinto: *Ex te egre- uitatis Mes-*  
 dietur qui sit dominator in Israël: et egres- *sie.*  
 su eius ab initio à dieb⁹ æternitatis. Quā *132.30*  
 prophetiam protulerunt in medium  
 Scribæ, sciscitante ab eis Herode, vbi  
 G 6 Chri-

*Matth. 2.* Christus nasceretur, vt scribit Matthæus Euangelista.

143. 5. Modum natiuitatis Christi ex virgine Spiritus sancto concepti, prædixit

*Isaie. 7.* *Isaias: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.*

*Matth. 1.* Cuius prophetiæ meminit Matthæus. Iudæi dicunt in Hebræo esse alma, quod adolescentulam significat, quo nomine significatur tam corrupta quam virgo, auntque ipsi, si de virginis conceptu Propheta loqueretur, dixisset: Ecce betula, id est, virgo. Non autem ecce alma. Sed impiè & imperitè id ab eis asseritur: Nam vt periti linguæ Hebrææ docent, Alma significat iuuentulam, & virginem incorruptam, quod & ipsum vocabulum indicat, derivatur enim alma à verbo alam, quod abscondere significat. Sunt autem apud Hebræos nomina tria, Naara, Betula, Alma, quorum primum respectum solum ætatis habens, significat adolescentulam seu puellam, tam virginem, quam corruptam. Secundum autem ad virginitatem respectum habens, significat virginem, siue adolescentula sit, siue ænus. Tertium autem ad vtrumque respectum habens, ad adolescentiam scilicet, & virginitatem: & adolescentulam, et virginem designat. Quamobrè apud

*Alma Hebræis quid significet.*

*Naara,  
Betula.  
Alma.*

Heb-  
lam,  
occu-  
ius p-  
ximè  
apud  
termi-  
pella-  
alma-  
cta,  
de ea  
ro.  
futura  
Dicit  
minu-  
Ecce  
paret  
natiu-  
mias  
ram,  
Deu-  
preta  
si nō  
bili,  
geret  
puer-  
Pu-  
catus  
à De-  
uerat  
tur.  
He-

Hebræos alma significat adolescentulam, aspectibus hominū absconditam, occultam, & intactam omnino, de cuius pudicitia nullum sit dubium, maxime cū præponitur ei articulus, qui apud Hebræos est he, qui dictionē determinatē significat. Hoc nomine appellata est Rebecca in Genesi, quæ dum alma vocata est, virgo erat atque intacta, vt patet ex contextu, qui ibidem de ea sic loquitur: *Virgo & incognita viro*. Et nisi peperisset virgo quomodo futurum erat signum & admirabile. Dicit enim Isaias: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signū*. Et statim addit: *Ecce virgo concipiet, &c.* Alioquin si non pareret virgo, signum non esset. Hanc natiuitatem Christi prædixit & Ieremias: *Creauit Dominus nouum super terram, femina circumdabit virum*, id est, Deum: vt & ipsi veteres Iudæi interpretantur, vt refert Galatinus. Et certè si nō de viro illo magno, atq; admirabili, qui in se diuinitatē cōtinet, intelligeretur, quid poterit dici ineptius, aut peritius? cū oīs vir de fœmina nascitur.

Puer octauo die circumcisus, & vocatus Iesus, quod nomen illi Angelus à Deo missus imponendum mandauerat, priusquam in vtero conciperetur. De quo nomine Esaias vaticinatur. De quo nomine Esaias vaticinatur.

Gene. 24.

Isaia. 7.

Ierem. 31.

Circumcisio Christi.

Isaia. 62.

rus erat: *vocabitur tibi nomen nouū, quod os Domini nominauit.* Dicuntur quidem multi fuisse hoc nomine vocati, verum periti linguæ Hebrææ asserunt non omnino nomine Iesus, sed Iehosua appellatos fuisse. Et vt maximè eo nomine nominati fuissent, quemadmodum aliqui tradunt: nouū tamē id nomen Christo fuit ratione effectus, cū nullus nomen (vt Petrus ait) *sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri nisi Iesu Christi Nazareni.* Post dies quadraginta oblatas in tēplum, quod Aggæus prædixerat: *Veniet desideratus vobis gentibus, & implebo domum istam gloria, Dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plus quam primæ, hæc ille.* Quæ quidem gloria Mesiæ aduentum pertinet, qui præsentia sua amplius & augustius reddidit tēplum Salomonis. Non enim melius fuit constructum tēplum Salomonis posterius priore, id quod vel ex eo liquet, quod apud Esdram legitur, Scilicet in Babylone redeuntes, cū prioris tēplum meminissent, structuramque tēplum noui se compararent, illachrymassē atque iurauerunt, quod si spectetur author, melior est prioris gloria, illius enim fuit tēplum Iosedech. Sin opus & tēpli vasa

Act. 4.

Aggæ. 8.

hil fuerunt omnia præ priorib<sup>9</sup>. Sacrificia aut in prima domo multò plura, & q<sup>3</sup> ad rē magis facit sanctiora, & quæ signis euidentibus approbarētur, vt igne cœlitus missò ad consumptionē holocaustorū. Numerantur aut signa plura quæ in domo sanctuarij fuerunt. Non abortiuit mulier propter nidorē carniū sanctuarij. Neq; carnes sanctuarij fœtebāt vnquā, nec visa fuit musca in macello tēpli. Neq; cōtiguit accidēs sacerdoti magno in die propitiationis. Stantes angusti erāt, procidētes vt adorarēt spatiofi. Nunquā extinxerūt ignem lignorū præparationis. Neq; vêtus vicit columnā fumi, illa enim flantibus ventis sursum recta ascēdebat. Fragmenta vasorū fictiliū à locis suis absorbebantur. De his signis illud in Psalm. *Signa nostra nō vidimus, nō est vltra propheta.*

Adductus erat Iesus à parentibus in Aegyptum ad Herodis sæuitiam deuitandam, vbi mansit annis plus minus decem, vnde post reuocatus, in Nazareth mansit: de qua quidem reuocatione & mansione Prophetas vaticinatos fuisse Matthæus scribit: de reuocatione Hieronymus extare vaticinium ait apud Oseam: de mansione verò apud Esaiam. Vita autem Christi tota inter pauperes, & homines simplici

*Gala. l. 4.  
Signa sanctuarij.*

*Psal. 73.*

*Matth. 2.*

*Ad Paulinum.*

**Esaiæ. 61.**

ac demisso corde transacta est, in prædicando, in languoribus curâdis, quæ Esaias prædixerat: *Spiritus* (inquit) *Domini super me, propter quod unxit me, ut angelizare pauperibus misit me, sanctorum contritos corde, prædicare captivis redemptionem, & cæcis visum, dimittere contritos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis.* Quam

**Luc. 4.**

prophetiam in se completam fuisse, constat statum ipse Christus apud Lucam.

Appetente autem supplicij tempore, Hierosolymam est ingressus, alioquin infidens, cui obuiam turba processit, & regis pompa illum excepit, de quo et illud Zachariæ testante Matthæo: *Da-*

**Zachæ 2.****Matth. 22.**

*Da-* cite filia Syon, ecce rex tuus venit tibi in asinetis, sedens super asinam, & pullum filii subingalis. Et quamuis est cuiusvis animo vehi, sed non cuiusvis ita mouere animos totius multitudinis, ut recipitur more regio. Et hoc est magnum illud quod in prophetia continetur, quod filia Ierusalem promittitur rex super se mansuerus, asinæ infidens. Et cum veram pieratis ostenderet, multa que diceret in eos, qui pro diuinis legibus traditiones suas populo seruandas proponerent, atrox inuidia Iudæorum in illum exarsit, qua adducti, illum dandum neci constituerunt, id quod & Iosephus tradit

**Ioseph.**

Sed cum esset maximæ æstimationis vulgo, non temerè in illum manus audebant injicere, obseruata est occasio, qua id possit tutè fieri: vnus ex illius discipulis triginta argenteis illū prodidit, quod non tacuerūt prophetæ: Dicit enim Zacharias: *Et appenderūt mercedem meā triginta argenteis.* Quibus quidem

Zacha. 11.

argenteis à Iuda in templo proiectis, Iudæi emerunt agrum figuli, in sepulturam peregrinorum, cuius rei prophetia extat apud Zachariam. Et Matthæus eius prophetiæ citat authorē Hieremiam. Quæ etsi nō reperiatur apud Hieremiam, dicit tamē Hieronymus se in quodā volumine Hebræo legisse, quod illi Nazareæ sectæ Hebræus obtulerat.

Zacha. 17.

Captus à Iudæis, desertus est à suis omnibus, de quo Zacharias: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* Cuius

Zacha. 13.

prophetiæ meminit Christus apud Matthæum. *Affixus cruci & eleuatus, quasi ostensus omnibus gentibus ad salutem intuentium, & confidentium.* Cuius

Matth. 26.

rei præcesserat figura in veteri lege, docente Christo apud Ioannem: *Ioan. 3.*

*Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et apud Psalmo-

Psal. 21.

graphum extat ea de re vaticinium:

Fode-

*Fiderūt, inquit, manus meas et pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Quia locū Iudæi corruerunt, in exemplaribus recentioribus, nam pro caru, id est foderūt, caari posuerūt, id est, sicut les. Verū in antiquis est aliter, quod indicant & septuaginta interpretes. Quia verterunt sic *ωρυξαρ χειρας μοσχαριτας μου*, hoc est, *Foderunt manus meas & pedes meos.* Quia & translatio Chaldaica, qua Iudæi vtuntur, & Aethiopicæ sic habet, vt Galatinus refert.

*Lib. 8.*

Pendente illo in cruce, quæ acciderunt, prophetæ non tacuere. Alii conuitia iecerunt in illum, quod prouidit Oseas: *Ego redemi eos, & ipsi contra me locuti sunt mendacia.* Et Psalmogra-  
*Aperuerunt super me os suum, sicut leuipiens & rugiens.* Alij potarunt illum acetum, quod in Psalmo prædictum fuit: *Dederunt in escam meam fel, et in siti me potauerunt me aceto.*

*Osee. 7.*

*Psal. 21.*

*Psal. 68.*

*Psal. 21.*  
*Ioan. 19.*

Milites item super vestē eius sortiti sunt. Quod futurum scriptura prædixit, docēte Ioāne: *Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestē meā miserūt sortem.*

*Zacha. 12.*  
*Ioan. 19.*

Latus mortui apertum lancea, quæ euenturum significarat propheta: *Uoluerunt in quē transfixerūt.* Cuius prophetiæ Ioannes Euangelista meminit.

Extra castra crucifixus est Christus



quod hostia illa de qua in Numeris habetur, figurabat, quæ extra castra immolabatur. Et ille agnus quem iubebantur Iudæi ex Aegypto egressuri comedere stantes celeriter, supplicium Domini, eiusque supplicij celeritatem figurabat. Nec est ouum tam ouo simile, quod dicitur, quam agnus ille paschalis Seruatori nostro Iesu Christo. Erat enim masculus sine macula, & sanguine illius tinctæ fores habitatorum, à plaga tuebantur. Nihil erat ex eo edendum crudum, nec aqua coctum, sed igne assum. Nulla dominici corporis pars, non est ingentibus facibus doloris assa atque exusta. Vorauerunt eum filij Israël cum latucis agrestibus, hoc est, animo amarissimo: & immolatus est à cuncta multitudine filiorum Israël, quod factum Ierosolymis.

Confixe sunt clavis manus & pedes illius, latus vero lancea perforatum, os tamen in eo confractum non est. Cuius figuræ Ioannes Euangelista mentionem facit. Nec vescitur ex agno isto immundus et incircūcisus, sed circūcisus, id est, animo purgatus, & receptus in familiam Domini per fidem. Postremo eodem die immolatus quo agnus solitus erat immolari, umbra et imago istius corporis. Et quemadmodum agni illius sacrificium gratum

Nume. 19.

Hebr. 13.

Exod. 12.

Ioan. 19.

gratum fuit Domino, & post illud ductus est populus ex Aegypto: ita per Christi sacrificium, reconciliatum est genus humanum Deo, & ex diaboli captiuitate assertū in libertatem, Passionem Domini inter ceteros prophetas distinctè persequitur Isaias in quinquagesimo capite, & quinquagesimo tertio, & alijs, vt nō sicut propheta dicere futura, sed res gestas tanquam Euangelista narrare videatur. Quia Iudaei verba Esaiæ prædictis capitibus de populo Israëlitico, intelligenda se affirmant, quasi de vno loquatur, & in quarto dicit: *Filius meus primogenitus Israël*: tamen id falsum est, quod quæritur ex contextu prophetæ. Licet enim afflicto sit populus Israëliticus in captiuitate: non tamen propter iniurias gentium. Præterea quod dicitur: *est inuentus in ore eius dolus*, id de populo Israëlitico intelligi non potest.

Depositus Christus de cruce, sit in sepulchro, in quo cū corpus esset, anima descendit in eum locum, ubi patres asseruabantur, liberandi per sacrificium mortis. De qua re Zacharias vaticinatus erat: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua*. Et in Psalmo quindecimo de Christi descensu ad inferos, i

*Iudæorum  
falsa interpretatio.*

*Zacha. 9.  
Psal. 15.*

feros, illincque reditu, prophetia extat,  
 vt Petrus testatur: *Non deelinquas ani-* *Actuum.2*  
*mā meam in inferno.* Tertio die tandem  
 resurrexit incorrupta carne existente,  
 iuxta vaticinium Dauid: *Nec dabis san-* *Psal.15.*  
*ctum tuum videre corruptionem,* quod de  
 Christo intelligitur, vt testatur Petrus. *Act.2.*

Non autem de Dauid qui in sepulchro  
 corruptus est. Triduana autem Domi-  
 ni mors præsignata per Ionam prophe-  
 tam, docente Domino, *sicut (inquit) Io-* *Ionæ.2.*  
*nas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tri-*  
*bus noctibus, sic erit filius hominis in corde*  
*terre tribus diebus & tribus noctibus.*

Quod quidem per Synecdochen intel-  
 ligendū est, qua pars pro toto ponitur,  
 qua locutio est frequēs in sacris literis. *Matth.2.*

Ascendit in cœlum post quadragin-  
 ta dies à resurrectione, intra quos se-  
 ipsum discipulis suis viuum præbuit,  
 in multis argumentis apparens eis, &  
 loquens de regno Dei. De hac ascen-  
 sione, testante Paulo, loquitur Psal-  
 mus: *Ascendisti in altum, cœpisti captiuita-* *Ephæ.4.*  
*tem.* Sed hæcenus de vaticinijs de Chri-  
 sto in testamento veteri contentis, pro  
 compendio, non re ipsa, quæ amplissi-  
 ma est, dixisse sufficiat. *Psal.67.*  
*Quorsum si-*  
*gure et pro-*  
*phetie ve-*

Voluit autem Deus, ea quæ in te-  
 stamento nouo acta sunt, præfigura-  
 ta esse, & prædicta multis ante secu-  
 lis *mentis.*

lis in veteri testamento, à Prophetis propter confirmandam fidem Christianam. Et quemadmodum prudens architectus, fundamenta firma quæ renderæ structuræ sufficerent, locat, alioqui superstructū corrueret: non omnino dissimili ratione Deus structura testamenti noui constituturus, fundamenta illius firmissima iecit. Ea siquæ quæ testamenti noui sunt, multis ætate seculis quàm acta sunt, figuris adumbrata, à prophetis & sanctis prædicta voluit. Quorum omnium vbi quis nihil non euenisse postea perspexisset, fidem Christianam in dubium minime vocare posset, cùm hoc factū non opus humana, sed diuinæ sit: Hinc illud seruatoris ad Apostolos, *Nunc dico vobis*

*Ioan. 14.*

*131. 27.*

*præiusquam fiat, vt cùm factum fuerit, prædictum datus.* Sed neque solum vates Christiani, verum & gentilium de Christo multa prædixere, quemadmodum Ecclesiasticus canit, si nō suis vatibus credat, vel gentilibus Sibyllinis versibus hæc prædicta: fuere enim mulieres quæ de Christo

*Sibyllæ.*

*Lactan. li. 1. cap. 5.*

*Cap. 23. li. 18. de ciuit. Dei.*

multa prædixere Sibyllæ appellata quasi consilium Dei, vt Lactantius interpretatur. Inter quas fuit Erythraea Sibylla (vt meminit Augustinus) quæ versibus Græcis, qui & hodie extant, multa prædixit de Christo, in quibus

rum versuum capitibus sunt literę que hæc verba constituunt *Ιησους Χριστος* *Δεος υιος οωτης*, id est, Iesus Christus Dei filius Seruator. Præterea cū aduentus Christi vniuersum hominū generi necessarius fuit, voluit hunc Deus esse prædictum, quo præcedentes expectarent cum fiducia, proximi pararent se, præsentis agnoscerent, sequentes euenisse iam crederent: ne quem præteriret aut falleret ea medicina quæ saluti omnium in commune promebatur. Nichil enim tristius vel acerbius quàm graui morbo teneri, medicinam autē ignorare, non enim quisquam præter istam fidem quæ est in Christo Iesu, siue ante eius incarnationem, siue postea reconciliatus sit Deo, cū sit ab Aposto-  
lo veracissimè definitum: vnus Deus & vnus mediator Dei & hominū, homo, Christus Iesus. Sed hætenus de promissione Mesiæ, deinceps de lege dicendum est.

L E X.

*Interim verò dum expectabatur, &c.*

**T**res præcipuè causæ legis à Deo latae describuntur. Vna, vt vulnera ostenderet peccatorum, quæ gratia

*Aduentus Christi cur prædictus.*  
221.19.

*August. in Psal. 108.*

401.15.

1. ad Tit. 2.

*Causæ legis date.*